



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 153. Clemangii opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

rum amplitudine sibi ad Rectoris dignita-
 tem viam stravit, quam & Anno Domini ^{Sæcul. XV.}
 millesimo trecentesimo nonagesimo tertio ^{A. C. 1440.}
 consecutus fuit, paucis ex post annis in
 Canonicum electus, dein Ecclesiæ Cathedra-
 lis Lingonensis Thesaurarius renun-
 ciatus est. Cum vero in suspicionem tra-
 heretur, ex suo calamo illam profluxisse
 epistolam, quam Benedictus XIII. Anti-
 papa mense Majo Anno salutis millesimo
 quadringentesimo septimo contra Regem,
 & Galliae Regnum vulgaverat, in Ascete-
 rio Chartusianorum Valefundi seu Fonta-
 næ ad Sylvam profugus delitescere com-
 pulsus est. Sacri hujus otii opportunitate
 usus potissimam partem suarum lucubra-
 tionum, & Epistolarum concinnavit, nec
 ultra ad Aulam Benedicti Papæ redire
 voluit, summis licet precibus exoratus
 esset. Recuperata tamen Regis gratia
 ad Lingones reversus diu ibidem commo-
 ratus est, postea vero Bajocensis Eccle-
 siæ Chori Magister nominatus, demum
 exactæ jam ætatis senex ad Navarræ
 Domum se recepit, ubi etiam Anno Chri-
 sti millesimo quadringentesimo quadrage-
 simo vitæ finem imposuit.

§. CLIII.

Clemangii opera.

Cuncta eximii hujus Scriptoris opera *Dipin. ibid.*
 pri-

Sæcul. XV. primo in Hollandia sub annum Domini
 A. C. 1440. millesimum sexcentimum tertium pu-
 blicam lucem aspexere, curis Lydii, Pro-
 testantium Ministri. Potissima eorum sunt
 tractatus de corrupto Ecclesie statu, & poe-
 ma quoddam in idem argumentum; item
 tractatus de ruina & restauratione iusti-
 tiæ, duo commentarii de infallibilitate
 Concilii Oecumenici, & alius de Studio
 Theologiæ; demum sermo in parabola
 de Filio prodigo, tractatus de bonis soli-
 tudinis, alter de utilitate adversitatis, alius
 contra festorum novitatem; præter opus-
 culum quoddam contra Prælatos simo-
 niacos unacum triginta septem epistolis.
 Ceteris vero ejusdem libris facile palmam
 præripuit Epistola ad Carolum VI Fran-
 corum Regem de schismate Ecclesie scri-
 pta, in qua triplicem eidem extinguendi
 hujus mali viam aperuit. In eandem rem
 postmodum ad Papam Clementem VII,
 & hoc vivis erepto ad Cardinales scripsit.
 Benedictus XIII. Virum ad se vocavit, qui
 etiam illius partes pro viribus defendit,
 & datis ad Carolum VI Regem literis ei-
 dem obedientiæ subtrahendæ viam dis-
 suasit. Idem vitia, ac morum corrupte-
 lam tam in Ecclesiasticis quam sæculari-
 bus sui ævi viris grassantem vivis ecqui-
 dem, sed nimium vehementibus verbis
 adumbravit, quorum quædam excerpta
 tomo vigesimo quinto Historiæ nostræ infe-
 ruimus

ruimus. Gratius præterea duorum ejusdem Auctoris tractatum de Concilio Generali in suo fasciculo meminit, & Lucas Dacherius typis vulgavit ejusdem libri de studio Theologiæ, Joanni Pedemontano Theologiæ Baccalaureo inscriptum, qui consequendæ Doctoris Laureæ desiderio stimulatus hac super re Clemaniæ consilium exquisierat (*).

Sæcul. XV.
A.C. 1440.

Dacher. *Spicil. tom VII. in 4to.*

§. CLIV.

Typographiæ inventum.

Ad hæc tempora non pauci artis Typographiæ originem referunt, quæ sola præ ceteris omnibus majores fructus Ecclesiæ, ac Literatorum Republicæ protulit, necnon indies cumulado scœnore profert. Ecclesia quippe hujus ope fidei doctrinam latius diffundit, disciplinæ suæ præcepta ubique terrarum instillat, dum omnium fidelium manibus ejusmodi libros exhibet, in quibus fidem, atque doctrinam suam invictis omnino argumentis confirmat. Jam quilibet artis hujus beneficio Religionis suæ fundamenta investit.

Chevillier. de origine Typogr. La Caille Hist. Typograph.

(*). *Observez velim, Nicolai de Clemangiis opera prohibita esse in Romano indice librorum. Vide Antonii Posslevini Apparatum in Verbo: Nicolaus Clemengis.*